

WK. 519.

B. M.


II a
871

BREVIS ENARRATIO, Conditæ *A Serenissimo Potentissimoque Rege Borussiæ* **FRIDERICO I.**

In Regia sua Berolinensi
SOCIETATIS SCIENTIARUM

Utq; ea tandem constituta sit & inaugurata.
Subjiciuntur Diploma foundationis, Leges institutionis, Oratio-
nes sub inaugurationem habitæ & Catalogus membrorum
Societatis.

Observatorium Societatis Regium.



BEROLINI,

Impensis Joh. Christ. Papenii, Bibliopolæ Regii Societatisque
Scientiarum Regiæ privilegiati.

Typis Gotthardi Schlechtigen, Regii pariterque ejusdem Societatis Typographi.
M. D. CC. XII.



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA





Brevis enarratio
Conditæ & constitutæ
**Regiæ Prussiacæ Socie-
tatis Scientiarum.**



Uemadmodum cetera in humanis
rebus communiter haud felicius succedunt,
quam si conjuncta opera promoveantur,
ita pariter in re Literaria seorsum observa-
tum est, eam familiari societate plurium
qui in eundem communem scopum con-
fessere, insigniter succrevisse. Initium
laudabilis instituti superioribus temporibus ab Italis profectum est,
quorum quas vocant *Academie* imprimis Florentina præter alias artes,
id consecutæ sunt, ut linguam patriam potissimum ornarent eique sva-
vitatem haud mediocrem conciliarent. Eorum vestigia pari intentione
patrum memoria Galli inivere, regnante rege Ludovico XIII.
erecta sic dicta *Academia Gallica*, seu excolendæ lingua Gallicæ So-
cietate, neque minorem inde atque priores illi utilitatem collegere.
Paulo post in Britannia delecta eruditorum cohors in societatem coi-
vit sublimiore scopo, nimirum secreta Naturæ & arcana Mathemati-
carum

carum artium scrutandi studio, quæ procedente tempore Regalibus beneficiis ornata, nomine *Societatis Regiae Anglicane*, per eximia Experimenta & Inventa orbi innotuit. Cui haud dispar institutum nobili regis sui æmulatione, cum summo rei eruditæ emolumento Gallia in *Regali Scientiarum Academia* molita est, idemque justis constantibusque legibus munitum consummavit. Sequuta proxime ibidem est *Academia rei Nummaria & Inscriptionum*, quæ universam fere humaniorem literaturam ambitu suo complectitur. Ceteras Architectura, Picturæ, Statuarix & aliarum similium artium academias jam omittimus,

Germania nostra, horum tentaminum haud otiosa spectatrix, tum per *Societatem Capophororum*, (quæ ipsam Gallicam Academiam tempore antevertit) lingua patriam, tum per *Leopoldinum Naturæ curiosorum Collegium* rerum naturalium & salutaris disciplinæ Medicæ scientiam erigere conata est, easque quantum fieri possit perficere ad laboravit. Nec inanis eorum, qui huc studium impendere, laudabilis labor fuit, publicatis paßim operibus communī cum applausu conspicuus. Ceterum quæ in singulis illis seorsum proficia & excolendis nobilissimis pariter ac amoenissimis disciplinis opportuna conspicuntur, ea conjunctim cœ in unum corpus contracta aut in compagem ingeniose redacta claudit a *Serenissimo Potentissimoque primo Præfessorum Christiani nominis rege, FRIDERICO*, in ipsa præcipua sede regia Berolino, instituta *Societas Scientiarum*. Princeps hic, cuius animo ante quam regale solium ascenderet, regia consilia obversabantur, tot memorabilibus bello paceque factis regnum suum super alia extulit, ut ea condigno splendore illustrata nostro venturisque seculis exponna excellentioribus ingenii merito relinquamus. Illa saltem addere hic strictimque memorare liceat, quæ ad incrementa eruditionis & artium potissimum respiciunt. Hic enim primo loco pro studiis artium *Pictoriæ, Statuariæ, Architectonice*, aliarumque huc pertinentium occurrit *Academia* earum culturæ in hac ipsa regia anno 1691. dicata. Porro pro instituenda nobili juventute tum in disciplinis ac artibus, tum exercitiis animi corporisque huic ordini maxime convenientibus *Illustris Academia* in eadem sede regia instituta anno 1705. Sed & eorum, qui ad altiores disciplinas contendunt, & ad rem publicam in ecclesia aut civitate capessendam adspirant, commodo prospicuum est inde ab ipso exordio celeberrima Fridericiana Universitate

Ha-



Halensi, quæ sua initia Anno 1594. debet. Quibus singulæ hæ fundationes tum doctoribus & magistris pro diversitate scientiarum, artium, exercitiorumque eximiis, tum optimis redditibus, amplis ædificiis, ceterisque non ad necessitatē modo sed & ad ornatum & splendorem instructæ & abunde dotatæ sunt, Serenissimi conditoris providam curam & munificam liberalitatem, magnifice loquuntur, earumque irrefragabilia monumenta ad seram posteritatem perennabunt.

Non tamen hic substitut regalis providentia, verum iis quoque qui interioribus solida eruditio, singulisque ejus partibus, sicuti deesse quid deprehendant supplore, si quæ rectius collocari aut ulterius promoveri possint, manum admovere idonei sunt, campum aperire voluit, in quo ingenuis eorum ardor in commoda rei eruditæ conjuncto studio utiliter decurrat. Hoc ipso fine anno 1700. regiam *Societatem Scientiarum* condidit, eaque opera publicum velut emporium sive forum convehendis artium scientiarumque thesauris; aut communem officinam conferendis ad eatum amplificandas & ornandas operis instituit.

Primum rei consilium agitata runc *Calendarii* mutatio suggeslit, per eamque res calendariographica inter Evangelicos, in aliam plane formam reducta, cui juxta decretum comitiale Ratisbonense tuende, cum idoneis & in arte Astronomica apprime exercitatis viris opus esset, cogitationem injectit, annon Regiæ Majestati, cuius sceptra tot intra & extra Imperium populi & provinciæ venerantur, merito conveniat, paternam regaliæ sollicitudinis curam huc quoque extendere, si quo modo eadem opera & propriis subditis & universa rei Evangelicæ haætenuis prospici posset. Ea vero consultatio aliam porrero genuit, qua ratione præsens occasio in medium vertat gravioris ponderis opus moliendi, quodque circumscripta *Calendarii* impressione forte proventurum esset lucrum, constituendo collegio virorum qui una alias quoque scientias tractaturi essent, impendendi.

Vix ad *Regiam Majestatem* opportuno tempore delata res erat, cum per ingenitum mentis lumen perspiceret, quantum inde sibi suoq; regno gloriæ, quantum in subditos, & in universum omnes, maxime autem in rem publicam eruditam profectus & emolumenti esset redditum. Placuit consilium, dataque statim mandata, ut diploma foundationis ipso auspicio natali regio anni 1700. expediretur, emissio paulo ante in omnes provincias publico edicto *Calendarii* impressio-

nem moderante. Notabile imprimis, cum exemplo diplomatis foundationis expressa lingua patris historiaeque mentio inserta initio non esset, id auscultanti prælectionem Regi observatum, sponte in mentem venisse, utque hoc cum ceteris præcipuum tractandorum caput diserte eo comprehendenderetur constituisse. Idem deinceps in præceptis agendorum (*Institutionem* vocant) ampliore modo specialiter expressum, in legibus institutionis repetitum est.

Hac igitur ratione factum est, ut quibus patriæ aut exteræ Societates objectis singillatim occupantur, S. R. Majestas in sua *Societas Scientiarum* cuncta in unum compegerit, quod institutionis formulas jam allegatas, quarum potiores hic subiecta cernuntur, lustranti facile apparebit, unum vero insuper adjecerit, idque supra cetera maximi momenti, cuius alibi nullum vestigium. Namque præter investigationem rerum ad Naturæ artisque Medicæ cognitionem pertinentium, nec non culturam & perfectionem Geometriæ, Astronomiæ, Mechanicæ, ceterarumque e Mathematicis fontibus derivatarum artium, cum Societatibus eruditis Londinensi & Parisina, itemque Naturæ curiosorum Germaniæ communes; præter lingua porro patriæ culturam, quod proprium opus Academiæ Gallica Italicaque, item Carpophororum in nostra Germania sibi sumfere; linguarum præcipue Orientalium imo quicquid universo eruditionis artiumque ambitu comprehenditur, studium ad usum admodum religiosum suaque dignitate ceteros omnes longe antecedentem, designatam sibi metu agnoscit. Ne quando nostra regio inferior videatur his, qui pridem in Italia alibique nuper autem in Britannia, majore cognitionis lumine præludente, propagandæ fidei labores suscepere, cum ipse genuinus finis & caput omnis eruditionis, Societati eruditæ subiectus conspi ciatur, quæ res Evangelicos omnes bene sentientes ad consortium & adjutorium provocabit.

Proximum huic erat de capite dispicere, quod tantæ moli promovendæ, corporique quod tot tamque varia membra componerent, animando regendoque sufficeret. Id vero in persona illustris Gothofredi Wilhelmi Leibnitzi, S. R. M. Prussiæ nec non Serenissimi Electoris Brunsvico-Luneburgici Consiliarii intimi sese obtulit. Hujus viri præter vastam rerum cognitionem, & probatam experientiam profundum maturumque judicium & incomparabile ingenii acumen, quibus in regno literario famam venerationemque ad miraculum usq;
merito.

merito sibi conciliavit, hic etiam ut alias saepe de re communis optime mereri non cessavit, delatamque sibi summa dignatione provinciam pari voluntate suscepit. Namque post omnia fere inde ab initio secum communicata, quædam etiam ab ipso suggesta, ut primum quid Regi statutum esset cognovit, Berolinum advenit, suisque salutaribus consiliis praesenti negotio constituendo & ordinando haud parum adjumenti contulit. Cujus etiam directioni ab illo tempore pari cum laude praest, quamquam quæ alibi distinent occupationes nonnisi per intervalla praesenti adesse permittant.

Successit expertum exercitatumque Astronomum reperiendi cogitatio, cuius industriae committeretur annua Calendaria condere, itemque observationes motuum sidereum instituere. Delectus clarissimus Gothofredus Kirchius est, vir in hac arte a multis retro annis celebris & experimento clarus. Is jubente Rege constituto opimo salario evocatus Gubena huc migravit, demandatamque sibi provinciam pro virili parte jugiter egregio studio ornavit, quod emissâ in lucem publicam documenta luculenter comprobant. Neque tamen adeo felici esse licuit, ut inchoati negotii plenam perfectamque consummationem attingeret, mense Julio proxime elapsi anni, Deo sic volente, e vivis sublatus.

Surgebat interea splendida substructio, in regione urbis quæ Dorotheopolis vocatur, sedes & receptaculum *Societatis*, unaque contemplandæ cœli faciei commodum observatorium futura. Hæc utut regalibus impensis ad justam altitudinem sensim educeretur, serius tamen quam pro destinatione perfici potuit, moram, præter alios casus eo quod tum proxime exarsit, & adhucdum flagrat, difficillimo bello, identidem injiciente. Ea vero mora singulare præterea incommodum peperit, quod defectu convenientis loci stata colloquia & congressus sociorum institui non possent.

Neque tamen ideo pratermissum quicquam est, quod pro re nata persequendo negotio destinato faceret. Ergo viorum eruditione illustrium in Germania & extra eam, quibus profiteri nomina apud societatem libuit, eximius numerus cooptatus est. Eorum nonnulli collatis luculentis industriae speciminibus materiam suppeditavere collectioni, qua tentaminis vice, sub titulo *Miscellaneorum Societatis Scientiarum ad incrementum Scientiarum* lucem novissime vidit, quæque, patefacto inde genuino Societatis proposito, ceu viam monstrabit & stimu-

stimulos addet his, quibus propriæ gloriae commodisque publicis serviendi animus & facultas non desunt.

Ipsa quoquè *S. R. Majestatis* jugis beneficentia, præter alia in *Societatem* collata, areâ simul ædificis ejus usib[us] dicatis regio jussu comparata auxit, inque eorum possessionem misit. Cetera complura beneficia & privilegia consulto jam prætermittimus.

Perfecto tandem & suis usib[us] aptato, liberalibus sumptibus augustinissimi conditoris, supra memorato ædificio, cum nihil ultra desiderari videretur, nisi ut summa manu imposita consummaretur opus, societasque in stadium præscriptorum pensorum ordine decurrentum quasi mitteretur, placuit *S. R. Majestati*, non conditori modo, sed & supremo Patrono, quod nomen Ipsa sibi summa voluntate sumit, cum solenni anniversario coronationis sue hoc negotium proxime conjungere, ejus conficiendi cura Perillustri atque Excellentissimo Domino *de Printzen*, Ministro & Consiliario status intimo, Praefecto palatii, rerum Feudalium Directori & Consistorii Præsidi, utpote *Societati* dato Protectori dignissimo commissa.

Ergo in antecessum quotquot hic loci degunt Societatis membra, congressi, in quatuor ex institutione classes, Physico - Medicam, Mathematicam, Philologicæ Historiæque Germanicæ, universalis deniq[ue] præcipue vero Orientalis literatura & eruditio[n]is, abivere. Ha[ec] porro singulae juxta præscriptum Regium suum sibi Directorem seu Moderatorem delegere. Prima classis suffragia *D. Krug de Nida*, Regi a secretis consiliis & Proto-Medico, secundæ *D. Chuno*, Consiliario & Archivi Regii praefecto, tertia *D. Sibett*, Consiliario & Bibliothecario Regio, postremæ, *D. Jablonski*, *S. T. D.* & primo Concionatori Regio celiſſere : ex eisque demum Pro-Præſes designatus est. Tandem die 19. Januarii anni 1711. postridie anniversarij Regiæ inaugurationis, post celebratum mane solenne equitum ordinis Regii aquila nigra concilium, circa horam a meridie tertiam paulo ante nominatus Excellentissimus ad *Observatorium* se contulit, ab universo Membrorum cætu, in descensu carpenti exceptus, & in supernum conclave, pro tempore decenter ornatum gradibus deductus.

Medio conclavi menia, post eamque sella locata erat. Ad eam ubi adstitit Per-Illustris & Excell. *D. Protector*, concinna oratione claves ædificiorum *Societati* dicatorum, itemque sigilla eidem ordinata, in mensa ante se reposita, Propræſidi Societatis, quod ipſe Præſes,

D. de

D. de Leibnitz propter alia negotia præsens, adesse, prohiberetur, trā-
didit, eoque factō Societatem in possessionem eorum immisit, unaque
præscripto operi adeundo solenniter admovit.

Excepit orationem Proprias, pro tempore jam ante dictus D. Jablonski, cui ad dextram conclavis juxta parietem locus fuit, eumq; continuo ordine membra *Societatis* hinc & hinc excipiebant, congrua responsione, qua finita, e cistula in ima mensa collocata depromtos nu-
mos memoriales, Secretarius Societatis, primum Excell. D. Protectori,
dein singulis ex ordine membris distribuit. Eorum imago in adver-
sa parte caput Regis cum inscriptione solita, in aversa aquilam versus
sidus aquilæ cœlestis intenso volatu entitentem, quod idem sigillum
Societati assignatum est, cum lemmate, *cognata ad sidera tendit*, & in
exergo, *Societas Scientiarum Regia fundata Berolini optimi principis
natali XLIV.* referebat. Additum & carmen eleganter & ingeniose
a professore humaniorum literarum in Illustri Academiâ Regia, D.
Neukirch, pro hac solennitate compositum, indeque D. Protector eo-
dem quo receptus in accessu erat modo in discessu ad carpentum de-
ductus est.

Ea tandem publica inauguratione, in spectabili frequentia eorum,
quibus ei adesse lubuit, communī cum applausu peracta, id demum
diurnis votis exoptatum consecutā est *Societas*, ut cum forma con-
grua facultatem etiam nanciseretur iis operam navandi, quæ scopo
sibi præfixo & Augusti conditoris præscripto respondeant. Ab-
hinc enim congressus & colloquia statu ordine frequentantur, unde
volente DEO, fructus haud inamānos eruditō orbi sperare licet.



FRIDERICI I.

Borussorum Regis

Diploma Fundationis,

Societatis Scientiarum

Berolinensis.



Os Fridericus III. Dei gratia

Marchio Brandenburgicus, Sacri Romani

Imperii Archi-Camerarius & Princeps Elector, in
Prussia, Magdeburgi, Cliviae, Juliæ & Montium,
Stettini ac Pomeraniae, Cassubiorum & Vanda-
lorum, ac in Silesia Crosnæ Dux, Burggravius Norimbergensis,
Princeps Halberstadii, Mindæ & Camini, Comes Hohenzollera-
nus, Marcaë & Ravensbergi, Dominus Ravensteini, ut & terrarum
Lauenburg & Bütau. Nostro, hæredum ac successorum No-
strorum, Marchionum & Electorum Brandenburgicorum nomine
notum facimus Omnibus, quorum id scire interest & clementis-
sime significamus. Nos, postquam DEO visum est in avitam
Brandenburgici Imperii ac Regiminis possessionem Nos mittere,
paternâ animi propensione, ac curâ ea Nobis amplectenda ac
providenda esse statuisse, quæ, cum ad Electoralium cæterarumq;
provinciarum nostrarum salutem & commoda facerent, tum ad
propagandam gloriam DEI, divinamque veritatem, ut & ad au-
gendum virtutum bonarumque artium ac Scientiarum cultum
eaque omnia quæ sciri publice interest, spectarent atque condu-
cerent. Quod Consilium nostrum cum difficillimis temporibus
non sine insigni fructu fuerit, ad illud restituta jam totius Europæ
tranquillitate tanto felicius obtinendum, consultum arbitrai su-
mus instituere Illustrem Scientiarum Societatem, quæ nostris fun-
data auspiciis in iis quæ ad scopum ejus pertinent destinata no-
stra perficeret.

Quod itaque felix faustumque sit, provido consilio requie-
mature nobiscum deliberata, hanc nostram Societatem Scientiarum
publicato hoc diplomate solenniter constituimus, instruen-
do eam idoneis hominibus, necessario apparatu, subsidiis etiam
ac redditibus, adjecturi porrò quæcunque usus exiget ad finem
tam eximiae & laudabilis destinationis obtinendum. Patroci-
nium Societatis Tutelamque Ipsi suscipimus, audituri benigne &

impediti clementissime quæcunque de rebus rationibusque e-
iusdem ad Nos relata ex usu & commodis ejus esse videbuntur,
nec permisuri unquam ut quid ei accidat a propensa hâc
Nostra in eam voluntate alienum, aut ejus commodis ac consi-
liis illum ulla in re impedimentum afferatur.

Ea vero nostræ Societatis Scientiarum præcipua & perpe-
tua cura erit, ut admiranda divini Numinis & Naturæ opera,
qua fieri potest industria, solertia ac judicio exploret, expendat
ac scrutetur, quæque inde ingenium humanum vita utilia ad
communes usus transtulit & certis argumentis comprobavit, aut
transferre cum fructu potuisset, notet, describat exerceat & ex-
ercenda in publicum monstret atque commendet: quæ nondum
liquent ad certitudinem veritatis per experimenta perducere,
quæ latent adhuc & occultantur, sagaci diligentia eruere, no-
visque inventis res humanas augere conetur.

Juxta hoc pari curâ ingeniosa quarumcunque artium opera
ac inventa cum suis præceptis ac viis eô ducentibus, & si quid
haec tenus in thesauro humanæ cognitionis rarius aut sparsum ob-
venit, diligenter colligat, ordineque disponat. Ut adeo hujus
nostræ Societatis scopus amplissimus sit & ad omnes illas disci-
plinas artesque, quæ ad utilitatem publicam, eruendam verita-
tem, & acuendum ingenium maxime faciunt, sese extendat.

Quin & in eo operæ pretium collocavimus, ut cum ad af-
serendam genuinam linguae patriæ castitatem copiam & elegan-
tiam, ornandamque hac in parte Germanici nominis gloriam,
tum ad illustrandam universam Historiam Germaniæ, præcipue
vero res gestas nostræ Domus, & quæ in provinciis Nôbis sub-
jectis in lacris ac profanis memoratu digna evenerunt, literarum
monumentis commendanda cogitationes suas ac studia conferat.

Providebitur etiam a nostra Societate Scientiarum ut in
omnibus disciplinis liberalibus variis licet, cognatis tamen & af-
finibus, atque a communi sapientiæ fonte manantibus, expedita
justa ac firmissima ratio earum tradendarum & addiscendarum
existat.

De-

Denique cum certum & in confessu sit, rectum de DEO
divinisque mysteriis sensum ac verum Numinis cultum, omnes-
que adeo Christianas virtutes tam in ipso orbe Christiano, quam
inter gentes nostrorum Sacrorum expertes, ea via quam Deus
ipse edocuit, a nullo hominum genere rectius & melius in ani-
mos hominum insinuari, quam quos vitae integritas juxta ac
morum innocentia, rerum quoque divinarum ac humanarum in-
terior cognitio commendant: ideo volumus atque Societati No-
stræ id negotii damus, ut sub Nostris auspiciis sincerus Numinis
cultus ad gentes longinquas & magnis terrarum intervallis dis-
junctas, quæ adhuc in tenebris summae ignorantiae versantur,
transferatur & extendatur.

Constituimus porro clementissime ut hujus Nostræ Societa-
tis stabilis ac fixa sedes sit in hac Nostra urbe principe, aulæ No-
stræ regiminisque præcipua sede, in qua etiam Turrim specula-
toriam, ad observanda sidera & cœlorum motus, curamus ædi-
ficandam, instructam simul conclavibus idoneis tam ad conven-
tus eruditij hujus Senatus habendos, tractandasque statis tempo-
ribus res ad hoc institutum pertinentes, tum asservandæ supel-
lectili literariae & apparatu instrumentorum experimentisque
chymicis aliisque instituendis.

Cum vero ad tam præclarum & late patens institutum,
multi atque in diversis sœpe locis commorantes homines, suas
operas conferre debeant, per Nos licet, ut nulla habitâ diver-
sorum facrorum ratione etiam exteri, iisque idonei & periti ho-
mines pro conditione cujusque certa ratione in istam Societa-
tem cooptentur.

Subiectos autem nostros præfertim muneribus publicis fun-
gentes, & nominatim omnes qui bonarum artium studiis addi-
cti sunt, pro conditione cujusque efficacissimè monemus ac hor-
tamur, ut si qua in re Societatem ejusque industriam, ad con-
sequendum finem propositum pro bono publico, juvare vale-
ant, id ut faciant, suaque candide impertiant. Erit id Nobis

gratissimum & securus quilibet gloriæ ac laudis , quam cuique
tribuent pro meritis qui illustri huic Collegio præerunt.

Quod reliquum est , Nostram Scientiarum Societatem præ-
terea exactiore & ad hoc institutum sigillatim accommodata vo-
luntatis Nostræ declaracione quid pro re ac tempore opus sit e-
docere , certis legibus munire , omnibusque ad consilium tam
honestum ac utile explicandum & feliciter exequendum perti-
nentibus commodis gratificationibus & privilegiis eandem vim
ac pondus habituris , ac si huic Fundationis Diplomati insertæ
existerent , ornare ac beare decrevimus .

Atque hæc est summa voluntatis Nostræ , cui parere omnes,
uti par est , volumus . Ad corroborandam hujus diplomatis fi-
dem ac autoritatem nomen illi Nostrum propria manu subscri-
psimus , & Sigillum Majus appendi jussimus . Datum Coloniæ
ad Suevum die XI. Julii Anno M D C C,

Fridericus,



P. de Fuchs

Novissima
ORDINATIO,
Regiæ Prussiacæ
Societatis Scientiarum.

NO^s FRIDERICUS, DEI gratia
Rex Prussiae, Marchio Brandenburgicus, S.R.I.
Archi-Camerarius & Elector, supremus princeps Arau-
fionis, Novi castri & Vallangini, Magdeburgi, Cliviæ,
Juliaci, Montium, Stettini, Pomeraniae, Castubiorum &
Vandalorum, Meckelburgi, item in Silesia Croshæ Dux, Burggravius
Norimbergensis, Princeps Halberstadii, Mindæ, Camini, Vandaliæ,
Ratzeburgi & Mursiæ, Comes Hohen-Zolleræ, Ruppini, Marcæ, Ra-
vensbergæ, Hohnsteinii, Tecklenburgi, Lingæ, Schyverini, Buhrae &
Leerdami, Marchio Vehra & Flissingæ, Dominus Ravensteinii, ter-
rarumque Rostochii, Stargardia, Lauemburgi, Butoviæ, Arlæ & Bredæ.
Quandoquidem Nostræ Societati Scientiarum hoc in loco institutæ,
medium tabernaculum posticæ partis stabuli nostri Dorotheopolitani
pro Observatorio, unaque pro sede & domicilio designatum, nostris
sumptibus excitare usibusque suis commodum præstare gratiose fusce-
imus; Idque opus Deo adjuvante, hucusque jam confectum est, ut
in possessionem ejus usumque immitti, & conventus negotiis sibi im-
positis rite peragendis necessarios, impræpedite aggredi, ac statis die-
bus continuare possit; e re esse duximus, convenientis ordinis per-
petuique stabilimenti gratia, præter ea quæ in Diplomate fundationis
& Generali Instruktione constituta sunt, sequentes leges præscribere,
iisque superiora in tantum declarare & ampliare.

Et ut ab ipso Præside initium faciamus, qua ratione ad præsens
constitutus est, in ea nihil mutandum duximus. Placuit autem præ-
terea, ex hoc tempore & in posterum perpetuo e Nostro sanctiori sta-
tus Consilio, unum, ac pro tempore Nostrum Consiliarium status in-
timum, Palatii præfectum, Curiæ feudorum directorem & Consistorii
ecclesiastici Præsidem, de Printzen, Nostræ Societati Scientiarum desi-
gnare, & constituere, cui negotia sua, si quæ ad Nos usque deferri ne-
cessitas postulaverit, commendet, quique post decepsum præsentis Præ-
sidis Societatis, eam tanquam Præses honorarius solus moderetur, ejus
commodis invigilet, legumque & fanticorum à Nobis editorum ob-
servantiam tueatur. Ne tamen vel præsentis præsidis absentia, vel fu-
turi aliunde cumulatae occupationes, agendis Societati præscriptis mo-
ram aut impedimentum qualecunque faciant, præsidium hoc e mem-
bris Societatis delectus Pro-Præses perpetuo sustinebit.

Quan-



Quandoquidem igitur universa procuratio dirigendæ sustinendaque rei Societatis, quæque ad ejus tum conservationem tum incrementa faciunt, ad hunc Vice-Præsidem conjunctim cum concilio Societatis, rite pertinent, statuimus ut idem Concilium Directores singularum clasium, una cum uno e Nostris advocatis fisci, a Nobis ex nominatione Concilii ad hoc constituendo, & Secretario Societatis, constanter componant, sicque compositum constituant.

Cumque porro accuratori materiarum tractationi conducere arbitremur, si in certas classes secernantur, eas in quatuor sequentes discretas esse hisce jubemus. nimirum ut una Res Physicas, Medicas, Chymicas &c. altera Res Mathematicas, Astronomicas, Mechanicas; alia culturam sermonis Germanici una cum historia tum ecclesiastica tum civili Patria, præcipue antiqua; alia denique Literaturam imprimis Orientalem, eamque in propagationem Evangelii ad infideles utiliter vertendi rationes complectatur, hisque singulæ seorsum occupentur.

Harum clasium uni ad minimum, singula Nostræ Societatis membra nomen dare, hucque studia sua conferre postulantes, porro sancimus, ut qui singulis clasibus fese addixere, e medio sui Directorem eligant, pluralitate suffragiorum ab his qui hoc fine convocati adfuere, constituendum.

Ad Officium Directorum, quod quidem, si in loco degant, neq; aliis negotiis ab actuali ejus administratione avocentur, ad vitam gerendum possebunt, pertinebit; primo conventus classis suæ moderari, agendorumque & tractandorum propositorum decentem ordinem observare: porro, de quo jam actum, Concilium componere, in eoque intima Societatis curare: denique Vice-Præsidis Societatis munere per vices in singulos annos defungi. Ordinis initium sequentemque successionem ex consensu ipsiusmet determinandi potestas esto, singulæque alternationum vices ad ipsum natalem Societatis, aut proxime subsequentem ordinariis conventibus asignum diem solenniter in præsentia omnium membrorum peraguntur.

Præsidi honorario à Nobis designato ad Concilium accedendi, idemque si ex necessitate fuerit extra ordinem convocandi libera facultas erit: ad Vice-Præsidem autem pro tempore gerentem pertinebit, concilium statis diebus habere, quo res Societatis qua decet diligentia carentur, quæque ad incrementa, conservationem & amplifi-

Cationem ejus utilia aut necessaria judicabuntur, magno studio obser-
ventur, legibus normaque a nobis praescripta stricte insistatur, quaeque
in damnum aut impedimentum cedere possent, commode avertantur.

Specialius ad curam Concilii pertinebit, Fundum Societatis,
quaeque huic constituendo ordinata sunt, aut posthac ordinabuntur,
sollicite conservare, & qua fieri potest, incrementis ejus prospicere,
nobisque modos huc facientes, si qui forte occurrent, subinde indica-
re, quo magis pleniusque eo sufficienter aucto, intentioni Nostra fa-
tisiat, & ex eo quod a ceteris necessariis sumptibus superabit, in po-
sterum paulatim in singulis classibus ac primum quidem in Mathesi
& Physica delecti & Concilii testimonio ornati homines constituan-
tur, qui convenienti salario provocati totum suum studium operamq;
huc impendant. Pariter Concilio curae erit fideli & recte ordinata
fundi hujus administrationi, perceptorum & expensarum calculo rite
digerendo, & rationibus in singulos annos dispungendis, sedulo pro-
spicere: porro receptionem membrorum ita moderari, ut nonnisi do-
ctrina & eruditio in aliquo genere praescriptarum classem insignes
publicisque speciminibus celebres viri cooptentur, quive in futurum
undeunque id fiat hoc fine commendabuntur, eorum commendatio-
nis, prævia cum classe cui se cooptandus potissimum addicetur vide-
tur, communicatione, rationem habere, sicque demum Receptionis
diplomata edere: præterea inferiores Societatis ministros, pro rei exi-
gentia, constituere, singulosque ad praestanda decenter officia hortari:
editionem Actorum Societatis quoties id fieri opus erit, procurare,
cunctaque alia que in honorem, decus & incrementum Societatis,
scopumque rite asequendum quovis modo faciunt, quam fieri potest
optime providere. Cuncta vero hoc ordine tractare jubemus, ut quæ
in deliberationem adducenda sunt, primum a Vice-Præside, deinceps
etiam a ceteris, si quis quid monendum habeat, rite & ordine pro-
ponantur, suffragia viritum colligantur, conclusum secundum majora
formetur, cuncta a Secretario excepta in tabulas referantur, ab eo-
demque porro, si quæ describenda literisque consignanda sunt, sine
mora expediantur.

Fundum Societatis, præter salario eorum quos rebus ejus admi-
nistrandis haec tenus necessario admovere oportuit, præcipue destina-
tum volumus, ut ex annuo residuo tum bibliotheca selecta, scopo &
usui Societatis quam maxime accommodata, tum necessaria Instru-
menta



menta Mathematica; tum conspicua copia curiositatum Naturæ ex omni regno, pariter & Artis, novorum scilicet inventorum, machinarum earumque modulorum, & si quæ alia rariora in Mechanicis occurrunt, adeoque thesaurus Naturæ & Artis congeratur: porro arcana Naturæ perscrutandis Physica, Chymica & Anatomica, experientia sedulo adhibeantur, sive reconditæ rerum virtutes penitus reserentur. Providendum itaque erit, qua ratione tum supellectilis ejusmodi successive conquiratur, tum pro re nata utilia tentamina & experimenta, ita tamen, ut res proposita in classe cujus ad objectum refertur, ante probe examinata, Concilio etiam proberetur, instituantur, simul qui in hujusmodi rebus efficiendis studium aut opem utilent contulere, condignis præmiis pro ratione & negotii gravitate ornentur, denique super his ceterisque Societatis destinatis perficiendis & promovendjs cum exteris Societatis membris aliisque eruditis commercia literaria sollicite stabantur. His igitur unice prædictum fundum provide & attente impendi volumus,

Haud minus colloquis ordinariis membrorum hic loci præsentium instituendis certa dies in singulas hebdomades præfigenda est, quæ qui singulis classib[us] nomina dedere, separarim & successively eo quem ipsi sibi consensu constituerint ordine, sive singulae classes semel in mense conveniant, siue Directore moderante, de rebus suæ classis & ad eam pertinentibus Scientijs collationem instituant.

Quodsi in diem præstitutam five festum five quæcunque feriae incident, quæ conventum agi prohibeant, eum quidem mutari & in præcedentem aut subsequentem transferri placet. Quodsi vero ne id quidem commode fieri queat, ordinem tamen haud interrupti, sed quod eo die habendum erat colloquium, in sequentem constitutum diem differri volumus.

Singularum classium conventus membris eas constituentibus Director per pedellum Societatis aut qui ejus vices implebit; generales omnium congressus Præses aut Vice-Præses pridie semper indicet.

Directoribus congruuus tuendo officio locus integer maneat: ceteri sine præjudicio gradus quem alio respectu obtinent, incerto ordine locum occupabunt, in suffragiis ferendis a dextris Directoris initium facturi, ut suo quisque ordine verba facere norit.

Nequo dubitamus fore, ut siuum cuique studium & in literas propensiō suggerat, quæ in augmenta Scientiarum meditanda sibi proponat.

ñat. Si quæ igitur aut sibi meditata aut aliunde observata quis habeat, ea per singulos congressus singuli vel bini, eo quem ipsi sibi imponent ordine, seu voce in medium proponent, seu si id magis visum aut subiecti dignitas exigere videatur, scripto conceptum Directori tradent, post absolutam publicam prælectionem tabulis actorum adponendum.

Post absolutum hoc modo unius sermonem aut lectionem, licet ceterorum membrorum unicuique supra memorato ordine de propositis sensus suos aperire, sive ad rem amplius illustrandam, sive ad dubium forte movendum tendant, quo posteriore casu ab ipso qui objectioni locum dedit, aut ab alio assidentium solutio expectabitur.

Proxime, nisi interdum ordinem mutari res ipsa postuleret, epistolæ si quæ ad manus sunt, ab exteris membris perscriptæ, & primum quidem quæ ad totum collegium, dein quæ ad privatos diriguntur, & subiectum tractationis respiciunt, prælegi, desuper sermones conferri, conclusum quod è re videbitur formari fas esto. Quæcunque vero acta & transacta, Secretarius Societatis, quem per officium cunctis Societatis conventibus interessè jubemus, (nisi vel morbo vel alia causa fontica distineatur, quem in casum, nemini extraneo, sed uni membrorum ejusdem conventus ad hoc exorato, vices suas demandare licite poterit) in tabulas referet, quæque his consequenter scripto expedienda erunt, qua pars est diligentia procurabit.

Denique, si tempus colloquio præstitutum ferat, qui sua fu collegiu auctorem dignitate aut novitate insignem legendum, aut scriptum censuræ & approbationi oblatum examinandum recepere, lectionis sue rationem & observata exponent.

Ordinarios conventus præcipue quidem singulis classibus addicta membra studiose frequentabunt, neque quod speramus sine gravi causa iis abstinebunt: licet tamen erit ceteris Societatis membris, ad conventus classium quibus ipsi nomina non dedere, libere accedere, extraneos autem & a Societate alienos admitti aut introduci, nisi Directore annuente, haud licet.

Hæc



Hæc erit negotiorum Societatis tractandorum ratio, per decurrentes annos continuanda, nisi quod hebdomades Passionis, Paschatis, Pentecostes, juxta consuetas messium ferias, unaque spatium a XXIV. Decembris usque ad sequentem proxime VI. Januarii diem utrinque inclusive pro legitimis vacationibus declaramus.

Quæcumque collati hoc modo studii sui & operæ documenta editura est & rerum testimonii adprobatura five universim Nostra Scientiarum Societas, sive singillatim singularia ejus membra, ea Nobis quo-vis tempore gratissima futura gratiose testamur, operamque daturos, ut quam summa voluntate singulorum meritis congruam habemus regalem benevolentiam, beneficiendique & promovendi eos desiderium, agnoscant abunde cuncti & re ipsa experiantur. Quorum ut plena conster fides hasce propriæ manus subscriptione, regalisque Silli appressione munitas dedimus Carolinæburgi die III. Jun. Anni M D CC X.

Fridericus.



Comes de Wartenberg.



ALLOQUIUM
Per-Illustris & Excellentissimi
DOMINI
MARQUARDI
LUDOVICI
à PRINTZEN,

S. R. M. Pruss. Ministri & Consiliarii Status intimi, Ordinis Prussici Aquilæ nigræ Equitis, Præfecti Palatio, Consistorii Præsidis, Rerum Feudalium Ecclesiasticarumque Directoris, Regiarum Universitatum supremi Curatoris, Capitanei Comitatus Ruppinensis & territorii Bellinensis, Ecclesiæ Cathedralis Magdeburgicæ Canonici, Domini Hereditarii in Caro,
 &c. &c. &c.

Pro Inauguratione

Societatis Scientiarum.

D

Hinter tot tantaq; & innumera pænè
monumenta singularis illius & verè paternæ in-
dulgentissimæque curæ, quam Augustus ac Potentissimus
Rex, Dominus noster longè Clementissimus, pro salute,
incolumentate, flore atque incremento omnium sub auſpi-
catisimo sceptro suo Divinâ Gratia tam pulchrè adhuc stantium
Regionum, Provinciarum atque ditionum fuscipere nunquam
defatigatur, & cuius veluti testes sunt sempiterni, tot condita
atque amplificata templo & divinis honoribus consecrata loca,
tot ad fringenda atque polienda surgentis juventutis ingenia vel
positæ vel emolumentis ornatæ Universitates, Equestres cæteræq;
Scholæ, tot latæ saluberrimæ Leges atque Constitutiones, quin
superba illa tot locis non minùs ad commune bonum, quam ad
maximum harum terrarum splendorem, non sine exterorum pe-
rigrinantiumque summa admiratione, effusissimo sumtu constructa
ædificia, quæ omnia Augisti Regis nostri non intermorituram
memoriam posteritati commendabunt: Inter hæc ipsa, inquam,
tam immensa tamque stupenda paterni illius indulgentissimique
affectionis rarissimæque pietatis jucundissima testimonia, quâ Optimus
Rex sibi subjectorum cordi habere salutem confuevit, illud
certè non infimo loco ponendum existimo, quod, posteaquam
nuper, confecto superiori bello, alma pax oris nostris conciliata
fuit, Ipse omnes suas curas atque cogitationes, alioqui semper
etiam in salute populorum suorum exercitatas, tum eò potissi-
mum converterit, quemadmodum annuente Summo Numine,
Ipso se Gloriosissimo Protectore ad colendas magis artes, latiusq;
circumscribendas pro communi bono disciplinas, & præcipue ad
ornandam Divinam gloriam, disseminandamque salutiferæ veri-
tatis Christianæ Doctrinam, quædam pulcherrimarum scientia-
rum quasi Societas in his Regni domiciliis coiret atque aperire-
tur. Nimirum deesse ad consummationem laudis ac gloriæ suæ,
in illa Academiarum, Universitatū, Scholarum, ceu Musarum

ac



ac sapientiae totidem ferè habitaculorum, quibus Regiae ditio-
nes ac provinciae jam abundè instructæ atque ornatae sunt, mul-
titudine, Sapientissimo Principi istiusmodi adhuc Academæ vi-
debatur fundatio, in qua tam exsplendescientum in Naturæ
regno operum admirandorum Dei contemplatione, quam ob-
servatione, cultu, imo & inventione præstantissimarum quarumq;
rerum, literarum, artium, cæterarumque optimarum ac in laude
& virtute versantium exercitationum, tum Regni atque ditionum
suarum & communis Germanorum patriæ gloria magis magisq;
ad illustrius sublimiusque decus exsureret, & in perpetuis orna-
mentis floreque confisteret, tum etiam institutis ad hunc usum
non ad finitimos solum Christianos, sed & ultimos Barbaros,
commeatibus, disseminandæ Evangelicæ veritatis studium & fama
Servatoris nostri Jesu Christi eisdem gentibus pedetentim impor-
taretur. Cùm verò ad arbitrium postea Divini Numinis, & ex
æviterno ipsius sapientissimo consilio bellum denuò exardesce-
ret, & latius etiam, quam anteà, vagaretur : Cùm, inquam, Au-
gusti Regis nostri provinciæ undeaque non armis tantum cir-
cumdatae essent, sed Ipse etiam, quod eorum societatem vitare
non poterat, eisdem implicaretur, quibus præter spem & expe-
ctionem omnem etiamnum est involutus ; in prosequendo ta-
men eximio hoc pulcherrimoque instituto usque adeò Ille non
retardari se passus est, ut non modò in tempore idoneis peritisq;
Viris seu membris, ornatisimo etiam fundo, apparatu, sumtu, cœ-
terisque ad æmulationem compositis largitionibus, hanc convo-
catam à Se societatem locupletaverit, sed etiam, quod ad sublime
longeque perfectissimum decus ac gloriam illius pertinere pot-
erat, Ipse se summum Ejusdem Protectorem sit professus, imo etiam
hanc tam Augusto Ipsius præsidio fultam, prolixissima protec-
tione recreatam Sibique tam caram Scientiarum Societatem, ho-
dierno die, qui à Sacro coronationis Ipsius festo secundus est, so-
lenni ceremoniâ aperiri, & quod vocant, introduci, partibus his
mihi impositis, clementissime jusserit. Non possumus itaque

gratiosissima hæc Clementissimi Regis nostri munera pari animi
affectione, cultu, ac devotione assequi, vel laudibus etiam satis ex-
tollere ac celebrare : Et quemadmodum partes præcipuaæ grati-
ssimæ mentis officiosissimæque pietatis nostræ in eo fortasse
propter tenuitatem nostram constituendæ & ponendæ sunt, ut
de nutu & voluntate Sapientissimi nostrorum temporum Salo-
monis certiores facti, ad ea omnia summa animorum contentio-
ne perficienda omnem industriad nervousque omnes intenda-
mus, quæ ad maturandum saluberrimum consilium Clementissi-
mi Regis nostri pro virili, & ad institutam partitionis operarum
formulam, effici vel maximè atque conferri ab unoquoque no-
strum poterunt : Ita merito etiam ardentissimas preces illas
piaque vota, quæ omnes sceptro Borussico subiecti pro exopta-
tissima carissimaque Augusti Regis salute sine ulla animi remis-
sione dies noctesque aspiduè nuncupant, in eum profectò finem
ore animoque geminare ac quasi coacervare nos oportebit, ut
Deus Opt. Max. istud semel nobis cælitus donatum pretiosissi-
mum pignus & sacrum duraturæ felicitatis nostræ palladium, in
multos imò infinitos annos, in hoc Regno florentissimo, copio-
fissimâ omnium rerum ac deliciarum affluentia, fortunatissimo
atque exoptatissimo Regio Statu, eâ benignitate, quam super alias
virtutes præcipuâ sanctitate ac Nominis Divini honore meruit,
quâm diutissimè conservet, & quicquid vel fingi vel optari ac
voveri lætum faustumque Indulgentissimo Principi potest, id
omne, etiam non precantibus nobis, Illi largiter concedat.
Annuat benevolè atque aspiret Numen Cœlestis uti omnibus pro-
vidâ sapienteque ac piâ curâ suscepitis ab Eo consiliis, ita in pri-
mis Illustri huic gloriosissimo exemplo conditæ Societati, ut illius
ope atque adjumento, quæ mens atque ratio consilii Augusto
Regi semper constiterat, Numinis sanctissimi Gloria in ultimas
terras propagetur, Ecclesiæ Christi fines perangusti latius profe-
rantur, & in ipsis illis locis, ubi densâ caligine ac coecis inscitiae
atque infidelitatis tenebris omnia adhuc occupata & obsita ja-
cuere,

cuere, signum fidei Christianae sustollatur, parique modo mortaliū animi ad bonas artes scientiasque, clarioremque ac luculentiorē Divinorum operum notitiam atque laudem inflamentur, & cū fama atque celebritas omnium Augusti Regis nostri provinciarum atque Regionum, tum inclutum etiam Germaniae Illustraque nomen æternis monumentis condecoretur. Ego verò et si conscientiā viriū mearum partim deterritus, partim aliorum mihi in cūbentium gravissimorum negotiorum mole obrutus, hūc Nobilissimæ Societatis Præsidio ac curæ omnino supersedere potuīsem, ad quam ornandam vel parum certè vel nihil adjumenti profici sc̄i unquam à me poterit; nihil feciū malui tamen hujusce cogitationis momenta non ponderare quam cœco illi ac humillimo obsequio, quo ad omnia Clementissimi Regis mei iussa atque arbitria, & ad hanc adeò liberalissimam ejusdem voluntatem atque nutum me adjungo, vel in re minima deesse, hāc potissimum fiduciā fretus, fore, ut Vos, Præstantissimi Viri, qui in Regiam hanc atque inclutam Societatem allecti estis, quique omnes ferè ac singuli prolixis semper studii & amoris erga me Vestri planè singularis signa luceculenta & notas manifestas extare voluistis, ita operam etiam Vestram mihi mutuam, & præsens hoc tempore auxilium, id quod enixè à Vobis peto, commodare ac impetriri non dedignemini, quò adeò per singulare illud studium, impetum etiam, quo, ad juvanda nobilissimae hujus atque hodierno solenni die hac ceremoniā ac inauguratione veluti renascentis Scientiarum Academiae commoda, naturae quodam impulsu feror, quodque studium nullo tempore deponam, ego fidelī opera Vesta adjutus, ad aliquid praestandum idoneus reddar, qua in re industria etiam mea atque labor omnis semper versabitur. Quod ergo felix faustumque Deus Opt. Max. esse jubeat, Clementissimi Regis nostri iussu gratiosissimo, Tibi, plurimū Reverende ac Doctissime Pro-Praeses, & per Te toti Nobilissimae Regiae Scientiarum Societati, tam concessum ab Ipso Augusto Rege Sigillum, quo, quando volueris, in

omni rerum atque negotiorum illius administratione uti quolibet tempore ac rite poteris, quam has claves etiam Observatorii, & illius Societati huic attributae areae, solenni ritu jam trado, atque ex Clementissima Supremi Protectoris & Augusti Regis nostri sententia ac voluntate huic Illustri Societati tum consecratum hoc Eisdem domicilium addico, tum in jus atque ordinem coitionum & administrationum suarum immitto, precatus ex animo, ut traditæ ha claves, velut opportunum auspicatumque rei bene gerendæ, & abstrusarum rerum pulchram suam industria aperiendarum omen sint atque insigne; utque hoc tam propicio sydere, tam bono hesterni coronationis sacri diei augurio sacrata jam inaugurataque Societas ad Conditoris Gloriosissimi immortalem laudem, in seram posteritatem, ipso una cum industria sua amplissimo, quem ex ea speramus, uberrimoque fructu transeat, floreat, perennet!



Responsio
ADMODUM REVERENDI
DOMINI
DANIELIS
ERNESTI JA-
BLONSKI,
S. T. D. Sacrae Regiae Majestatis
Prussiae Concionatoris Aulici, Socie-
tatis Scientiarum Directoris
& p.t. Pro-Præsidis,
Pro Inauguratione
Societatis Scientiarum.

Per-Illustris & Excellentissime Baro,
Domine perquam Gratiose.

Ex quo Serenissimus Borussorum Rex, Dominus noster Clementissimus, duos illos gloriose suæ vitæ Dies maximè memorabiles, illum quo *Natus*, illumque quo *Coronatus* est, ei etiam rei sacros esse voluit, ut *Natali SCIENTIARUM SOCIETATEM* constitueret, *Coronationis* vero die, eandem solenniter dedicaret ; hoc ipso clarissimè ostendit quanto Favore non *SOCIETATEM* tantum, sed ipsas quoque *SCIENTIAS* prosequeretur. Testatur enim Regia Sua Majestas Doctrinam & Literas esse, ex quibus tantum Delectationis quantum ex ipsa vita capiat ; & prout Splendorem Augustæ Domus, Regiique Imperii Limites amplissimis Incrementis ampliaverit, ita non minus sibi cordi esse, ut Sapientiae Regnum, bonarumque Artium Pomoëria pariter proferantur.

Consilium verè Regium ! quod ad Catholica Orbis Comoda, ad Humani Generis Utilitatem se diffundit. Quamvis enim Eruditione & Artibus mortale Genus quam maximè opus habeat, iisque inveniendis & excolendis inde a prima sui origine operam dederit, non tamen hoc in studio tantum proficit, ut omnes artes perfecerit, universumque Scientiarum Campum fuerit emensum.

Ista verò quas dixi *Scientie* non tam *Necessitates Vite* quam *Comoda* ejus respiciunt ; neque id adeo largiuntur ut homo vivat, quam ut eleganter vivat, & dignitati suæ convenienter.

Quæ ad vitam necessaria sunt, propemodum sunt in promptu, & a natura, benigna matre, homini æque ac animalibus monstrantur præbenturque. Artibus & scientiis hic opus non est.

Ob-

Obvia & oblata arripiuntur, quemadmodum ab homine per rationem, ita per internum quendam instinctum ab animalibus.

Sed quae vitae Commoditatibus Elegantiæque inserviunt, ratione investiganda arteque paranda sunt. Horum usi cum solus Homo polleat, illa quoque quae his parantur viræ Comoda, ipsi soli in peculium cedunt, ita quidem ut partem eorum aliquam ipsum quoque Corpus, primariam Animus sibi vendicet.

Etenim quod pro cavernis & speluncis inconditis nitidas domos habitamus; quod pro sordidis pecudum ferarumque pelibus vestes ex lini & lanæ filis vel bombycum telis contextas, gestamus; quod pro dura glande, crudaque radice & inculto fructu suavibus & ad palatum compositis cibis vescimur; haec & his similia, ad Corporis cultum sensusque oblectandos pertinent. Longè autem major voluptas est quæ scientiarum ope Animam perficit & delectat. Is siquidem Naturam cognoscit, naturæque Dominum, miratur illius divitias & hujus potentiam veneratur, scrutatur invenitque hominis usui præclara Dei opera patere ut corpus iis sustentetur & excitetur anima, atque ab operibus ad auctorem penetret; Verboq; DEI illuminata ac adjuta perveniar in Creatoris societatem ac gloriam, hic quidem gustandam, sed in coelo perfruendam.

Hunc igitur usum ingenuæ artes cum habeant, homo iis diu carere non debuit. Quare a Deo in ipsa Creatione earum semina accepit, per quæ deinde quæsivit, quibus se ab animalibus ceteris distingueret, & vitam domino animantium dignam viveret.

Prima artium exordia ab ætate antediluviana sunt arcenses. Jam tum homines intelligentes, quid se deceret, Necesariis non contenti Comoditatibus vitae & humanitati studuerunt, Lamechi filium Jabalem legimus pecudes pavisse, & habitasse casas, id in necessariis ponitur; sed fratrem Jubalem in Musicam incubuisse, ut homo laboribus fessus ejus suavitate reficeretur. Ex Zilla altera uxore idem Lamechus Tubalkainum sustulit, ser-

ramentorum Magistrum & auctorem fabrorum ; ad colendum agrum & victum inde comparandum, necessarius hic erat labor : Hujus autem soror Naama, quæ formosam & jucundam significat videtur duros fratris labores vitae elegantia & venustate temperasse.

A Diluvio, ut ipsi Homines, sic humanæ Artes ex Oriente originem acceperunt.

Chaldaei & Ægyptii primi earundem Inventores habentur ; verum enim vero istis curæ fuit Inventa sua in Templis abscondere, Ænigmatis Imaginum Hieroglyphicarum involuta ; & quod in Dei Immortalis gloriam Mortaliaque Commoda, super tecta prædicandum fuerat, alter alterius in aurem mussitabant. Neque vero celebrata illa Chaldaeorum sapientia non ex merito viris doctis suspecta habetur, quandoquidem ipsi primariò quidem Astronomiæ operam locantes, atque quadringentorum & septuaginta millium annorum Observationes jactitantes, tam longitatem temporis decursu haud deprehenderunt Lunam Corpus opacum esse, quod Lucem suam a Sole ipsam illustrante mutuari debeat.

Post hos *Graci* artium & scientiarum laude floruerunt ; quarum tamen initia non ad *Homeri* demum, aut *Pythagore* atq; *Platonis* ætatem referenda sunt. Pauca illa & obscura quæ in priscis Monumentis supersunt *Orphei Vestigia*, testantur, ipsum suo, h.e. Bellum Trojanum sat diu antegresso tempore, homines in Cognitione Numinis & Divini Cultus erudiisse, Animorumque Immortalitatem & Artes quibus regerentur Respublicæ, nec non Virtutes & bonos mores docuisse. Prout vero is Sapientiam suam ab Ægyptiis hauserat, sic in ea propaganda eadem qua illi methodo utebatur. Genuina enim Dogmata sua non nisi paucis selectisque Auditoribus distinctè tradebat, reliquo Gregi eadem in illo Mysticorum Rituum Choragio, quod *Mysteriorum Bacchi, Cereris, Corybantum* appellatione venit, proposuisse sat habens.

Quod-

Quoddam Sapientia^e Monopolium homines isti instituisse videbantur, sed eo Pythagoras cum primis ipsis deturbavit, aditu ad Scientias universis quibus ea Sacra frequentare volupe esset patesacto; a cuius tempore Philosophorum in Græcia ingens messis surrexit, sed qui multas in Sectas scissi, ad multas maximamque partem inutiles & vanas Disceptationes dilabebantur. Fuere tamen inter eos, qui Augmento Virtutum & bonis Moribus operam darent, alii qui Reipublicæ constituendæ & regendæ artes prudenter excoolerent, alii qui acuendæ Rationi humanae & Naturæ rerum indagandæ incumberent; quorum illud cum primis Socratem, istud Platonem, hoc Aristotelem fecisse, notum est. Sed res quoque Anatomica & Medica grandia tunc Incrementa cepit, Mathesis verò eousque proiecta fuit, & Græcia jure Magistra ejus & Gymnasium diceretur.

Ut tamen quod res est fateamur, nugacem potius & garulam quam solidam Sapientiam pars major consecrabatur, & qui Philosophi appellabantur, plus in ostentando Ingenii acumine, quam in Interioribus Naturæ scrutandis operæ ponebant. Libros scribebant, Systemataque contexebant, antequam res de quibus scribere in animum induxerant sufficienter perspexissent; magisque ut acutè & ornatè de rebus differerent, quam ut intime eas pernoscerent, erant solliciti.

Ab his ad *Romanos* Scientia^e transferunt, a quibus tamen haud eo quo par erat favore fuerunt exceptæ. Martius iste populus, Arma quam Libros tractare pronior, satis sibi sapiens videbatur, dum Leges suas & Mores Patrios intelligeret, si usque homines severiore Disciplina & vita genere ad virtutem composito contineret. Modicum illud Scientiarum, quod sensim a Græcis ad ipsos dimanaverat, ita colebant, ut ejus vix aliis esset usus, quam ut Sermones suos eo ornarent, aut Solitudinis inde peterent Solarium.

Antequam Philosophia profundiores ibidem radices agere posset, Occidentaliorum Europam diversis diverso tempore Bar-

barorum IncurSIONIBUS inundari contigit, qui Roman Orbis Dominio juxta atque Scientiis & Artibus spoliavere. Secura est nox Inscitiae & Barbariei tenebrosissima, quæ nobiles istas Regiones per aliquot Secula opprescit, usque quo CAROLUS MAGNUS, Orientis ad instar Solis ejus disspellendæ initium faceret. Hic Imperator verè Magnus, quemadmodum ipse Linguis & Scientiis, pro illius temporis ratione solidè imbutus erat, ita iisdem propagandis incumbebat totus; apertis eo fine publicis per Italiam, Galliam, & Germaniam Scholis; ipsaque frequenti numero & grandibus impensis fundata Coenobia nihil erant aliud quam Eruditionis Seminaria.

Renamat hoc pacto Philosophiam dices, sed in cunis adhuc vagiebat, aut ad serperastræ faltem oberrabat, virile robur & decus minimè assecuta; cum quæ tempora illa exceptit SCHOLASTICORUM Doctorum Sapientia, illius Incremento obicem poneret. Eruditio cui isthoc hominum genus se dederat, Aranearum telæ erat persimilis, subtilis quidem sed nullius vel virtutis vel usus. Abstractis sine fine & modo Speculationibus indulgebant, ejus rei solitariâ quam ducebant vitâ occasionem eis præbente; cumque investigandis Naturæ Arcanis manus admovenda esset, ipsi satis habebant vivaci Phantasie fræna laxasse. Subtiles istos conceptus obscuris exprimebant vocabulis, Sapientesque sibi videbantur, si Lingvam sonarent a nemine intelletam, iisque qui eâ uterentur in flandis, quam Veritatibus vel novis detegendis vel veteribus amplificandis aptiorem. Atque hoc pacto pro Junone Nubes, & Rerum loco Verba Orbi obtrudebantur.

Tandem singulari Divinæ Providentiae beneficio factum est, ut Græcia a Turcis pressa, secunda vice unâ cum Scientiis Linguam quoque suam nobis impertiret; quo tempore etiam Latina, quæ in ipso Latio pridem fuerat emortua, feliciter revixerat. Exceptit hanc præclarum illud Typographiæ Inventum, cuius Beneficio tam pridem Demortuorum quam etiamnum viventium

Co-



Cogitata citò & facile cōmūnicari possunt. Ejus ope unā cūa
Scriptis Veterum Sapientia quoque ipsorum e pulvere & tene-
bris eruta, Lucique restituta fuit ; Sed eo ipso clariss patuit,
quanto etiamnum defectu Humana Cognitio laboraret, eosque
qui Philosophiae laude haec tenus inclarerant, in Atrio potius Sa-
pientiae substisſe, quām in interiora ejus Sacra ſia penetratſe.
Incomparabilis ille Angliæ Cancellarius, Baro de Verulamio p̄r
aliis profundiū ſta introſpexit, Scientiarumque Amatoribus Dux
& auctor exſtitit, ut Naturam Rerum curiosiore magisque ferio
quām haec tenus factum fuerat ſtudio ſcrutarentur. Eum facem
p̄ſerentem certatim alii ſecuri ſunt.

Ab eo tempore ingens Eruditorum Virorum prouentus
fuit, qui in investiganda Natura, trinā illa Clave Adyta ejus ape-
rire apta feliciter uſi ſunt, nempe *Mathei*, quæ Coelos Terramq;
dimititur, & *Anatomia* atque *Chymia*, quarum ope tria Naturæ
Regna, Animale, Vegetabile & Minerale recluduntur.

Praeclaris horum conatibus obſtricatura Divina Bonitas,
Seculum proximè p̄terlapſum variis iisque utiliſum is beavit.
Inventis : *Microscopiorum*, quæ Objecta minuta immenſum au-
gent; *Telescopiorum*, quæ procul absentia velut p̄ſentia ſiftunt;
Horologiorum Pendulorum, quæ Temporis lapſum, ſyderumque
cursus accuratissimè metiuntur; & *Antlia Pneumatica*, quæ e
Vasis conclusiū aërem crasum extrahit. Horum & ſimilium In-
ventorum ope, maximè Itineribus ad remotissima Loca, mari
terraque accedentibus, limites cognitionis humanae immenſum
prolati ſunt, tamque admirandis Repertis aucti, ut quamvis qui
haec tempeſtate florent a Veteribus multa didicerunt, veteres ta-
men ſi resurgerent a modernis haud pauciora diſcenda eſſent
habituri.

Iſhæc verò Scientiarum Incrementa Societates quām ſi-
guli Homines rectius promovere aptæ natæ ſunt; indeque fa-
ctum eſt, ut ſapientes illæ & curioſæ Britannorum Gallorumque
Gentes, eadem eximio cum proſectu instituerint. Eorum enim

quæ ad Naturam rectè indagandam pertinent, nonnulla possidere datum est omnibus, omnibus gaudere nemini. Alius Ingenio & speculationis acumine pollet, Judicii maturitate alius, alium multijuga Lectio, alium frequens Literarum commercium, alios alia commendant. Itis in Societatem coalescentibus, alterius defectum supplet.

Præterea, homines ita comparatos esse scimus, ut plerumq; alius quidem justo plus, alius verò justo minus ipse sibi tribuat. Neutrum sibi relinquendum esse reor, sed alterum alteri sociandum, quo uterque sensim rectius de se sentire discat. Imo verò (quod Vir quidam in Republica Literaria nostra ætate perquam celebris fecit) optandum foret, non Personas solum sed ipsas Nationes in Societatem coire, ut (si quidem id fieri posít) in unum jungantur Gallorum Vivacitas in quærendo, Subtilitas Anglorum in perscrutando, Hispanorum Italorumque contentio in progrediendo, Germanorum studium & sedulitas in perficiendo. Profectò ibi felicissimè procedit opus, ubi Oculorum, Manuum, atque Ratiociniorum datur Conjunctione.

In Germania nostra præterito Seculo tres surrexerunt Societates Eruditæ, nominibus *Cygnei Ordinis*, *Societatis Carpophore* (seu *Fructifera*.) & *Collegii Natura Curiosorum* celebres. Prioræ duæ Linguae patriæ Puritatem, tertia Naturæ cognitionem promovendam sibi sumferant. Primæ illi Vir eruditus, sed privatus; alteri Princeps Imperii; tertia Gloriosissimus Imperator natales dedit. Id erat reliquum, ut ineunte Novo Seculo, Rex Augustus Quartam fundaret, quæ Linguas juxta atque Scientias, adeoque dilcreta illarum Objecta, una complectetur.

Atque hoc ipsum est, quod jam oculis nostris usurpamus, quodque felix & faustum esse jubeat DEUS; cum auspiciis & nomine Augusti Borussorum Regis, Domini & Fundatoris nostri Indulgentissimi, Tu, Excellentissime Domine, Regiam hanc Scientiarum Societatem solenniter dedicasti, eique Pensa sua imperasti.

Re-



Regia isthac Munificentia Rex Serenissimus universum Genus Humanum sibi devinxit, cuius catholico & universali Bono eam destinavit. Sigillatim verò humillimas Majestati Suæ gratias debet recens nata hæc Societas, ut in quam isti Regiæ Clementiæ atque Liberalitatis rivuli immediatè defluunt. Clementissimus Rex Vitam Ei & Vigorem largitus est, Legibus & Institutis salutaribus munivit, de commoda Sede deque Reditibus necessariis prospexit, denique de Regia sua Gratia & Protectione in posterum quoque jus sit esse certam. Magna hæc & præclara esse Regiæ in nos Beneficentia Munera grato animo agnoscimus, iisque beatos nos prædicamus, quamvis destinatus Societatis Ærario Proventus mediocritatis cancellos nondum sit egredius. Qua quidem in re habemus a cæteris Societatibus dissimilitudinem. Cum enim qui *Britannice* adscripti sunt, ad tolerandas Societatis Impensas propria conferant; contrà, qui *Gallicæ*, magnificis Regis Stipendiis alantur; hic neutrūm usū venit. Nulli hinc nobis Reditus obveniunt; at neque Sumtibus faciendis oneramur; sed Regia Munificentia tantum poscidemus, quantum & Diligentioribus excitandis, & Bene meritis remunerandis, & Instrumentis mathematicis, Librisque, nec non reliquis rebus necessariis comparandis sufficiat. Voluntariæ ergo & gratuitæ operæ Milites sumus; alibi quidem Spartæ quam nauci sumus ornandæ obligati, hic verò spontanea Promptitudine Musas demerituri. Prout verò in Campo Martio fieri assolet, ut Voluntarii Milites operam sœpe navent & utilem, & gloriosam, ita in isthac Scientiarum Palæstra similem nos laudem reportaturos esse confido.

Nonne verò animadvertis, Excellentissime Domine, ut eximiam Lætitiam ipso vultu oculisque præferat inclyta isthac Societas? ut frontem universi exporrigan? ut toti in plausus solvantur? Nempe, quia Tu, Perillustris Domine, Præses & Præsidium ipsis datus es. Quem equidem delectum Rex Sapientissimus sua sponte egit, sed quiem, si optio nobis relicta fuisset,

Nos.

Nos omnibus votis atque precibus eramus expetituri. Gaudium ergo, quo persusos vides, justum est. Quamvis enim eorum qui Panegyrin hanc ornant paucissimis exploratum esse queat, quanto ardore inde a tenera aetate Literis incubueris; & postquam ad Aulam accesseras, quod Scientias pari ardore ac Principem colueris, quod Sapientiae servidius quam Fortunarum Incremento operam dederis, quodque cum ipsius somni & necessariæ quietis dispendio studiis tractandis incubueris; hoc tamen omnes sciunt, TE, & solidæ Eruditionis laude florere, & Eruditorum Decus atque Praesidium usque fuisse. Felici ergo faustoque omne novella haec surgit Societas, ut quam Regum, qui modo imperant, Doctissimus fundavit, Ministroque Status Doctrina pariter eminenti curandam tuendamque demandavit. Quid non inde speremus omnes! quæ non & Societati & Scientiis emolumenta polliceamur! Id unum superest, Perillustris & Excellentissime Domine, ut Tuo nos Favori obnoxie commendemus, Teque oremus, ut Regiam pariter Gratiam constarem atque illibatam nobis conservare digneris.



Icon

Icon
&
Explicatio
NUMMI,

In memoriam fundatæ Societas
tis Scientiarum cuiſi.


locu

ss

Expositio

NUMMI

In memoria fundatis Societate
disseminatissimis civi



Atali quæ nata Tu, Tua sidera in omen
Accipit, & magnæ Symbola
mentis avem;
Grata pios celebrans tam faustæ lucis
honores,
Nostra Cohors, Dominum vix satis or-
ta colit. Re-

*Regia Te virtus FRIDERICE attollit
Olymbo,
Nos voce atq; oculis fas sit in astra sequi;
Et spectare Aquilam Brennos quæ lu-
mine signat,
Quosq; parat cælum & dat Tibi terra
gradus.
A Rheno ad Memelam tua magna est
portio nostri
Orbis, & Arctoæ Te venerantur aquæ.
Esto diu felix princeps, conjuxq;, paterq;:
Sera Tuos rapiant sidera, Tegq; Tuis.*

*In Figura Emblematis Nummo inscripti pro Tesseræ Societatis pla-
uit Aquila Brandenburgica, quæ volatum dirigit ad Sidus proprium,
stellis designatum, quibus Aquilæ Asterismum agnoscas. Epigrafe
est: COGNATA AD SIDERA TENDIT, quæ non minus huic fi-
guræ & velut Corpori Tesseræ, quam *Anime* ipsius, id est sententiaz re-
spendet: nam simul innuit mentem hominis cœlo ortam, originem
suam repetentem; & magni Principis animum, ad excelsa & cœlestia
se atrollentem; & Societatis ab ipso fundatae institutum, non tam ad
spectabile cœlum, quam ad cœli Dominum, & lucem mentium super-
nam, & Divinæ gloriæ incrementa per scientias, viam affectantis.
Aquilam verò, regiam avem, Jovis armigeram, simul à viribus & per-
spicacia laudari, potentiamque cum sapientia indicare; & in hiero-
glyphicis & nummis veterum, divinitatis, & consecrationis, & im-
mortalitatis animæ Symbolum haberæ constat,*

CATA-



CATALOGUS
MEMBRORUM
SOCIETATIS
SCIENTIARUM,


A Serenissimo & Potentissimo
Rege Prussiæ fundatæ Berolini,
Anno 1700.

Inde ab initio foundationis ad annum 1712.

[Quibus appositum signum † est, eos in vivis
esse desisse notat.]

CATALOGUS
MEMBRORUM
SOCIETATIS
SCIENTIARUM
A Seleccióne & Potentissimo
Regie Curia Imperialis Beloij
Anno 1790.

151



Præses.

GEo. Wilh. de Leibnitz, Consiliarius intimus Regius
Boruss. & Electoralis Brunsvico-Luneb.
*Sociorum nomina secundum ordinem Alphabeti di-
sposita sequuntur.*

Carolus Conradus Achenbach, Consiliarius Ecclesiasticus & Con-
cionator Aulicus Regius Berolini.

And. Acoluthus, Pastor Ecclesiae & Ling. Orient. P.P. Vratislav. †
Car. Ancillon, Confiliarius Legationum Regius & judex superior
Gallorum Berolini.

Pet. Dangicour, Secretarius Regius Berolini.

Henr. Basnage de Beauval, Ictus Hagæ Com. †

Jacobus Banagius, Pastor Ecclesiae Gall. olim Roterod. nunc
Hagæ-Comit.

Jo. Frid. Beckmannus, S. Theol. D. Prof. P. & Facult. Senior
Francof.

Jo. Henr. Beer, Architecturæ Præfectorus Regius Berolin.

Laur. Begerus, Consil. Antiquarius & Bibliothecarius Regius
Berolin. †

Christ. Barth. Behrens, Medic. D. Hildes.

Jac. Bernoulli, Prof. Mathes. Basil. †

Jo. Bernoulli, Prof. Mathes. olim Groning. nunc Basil.

Dav.

Dav. Blasing, Prof. Mathel. Regiomonti.
Joh. Chamberlaine, Societatis de propaganda fide Britannicae
Secretarius, Regiae Societatis Anglicanæ So cius.
Steph. Chauvin, Pastor Eccles. & Rector Gymnasii Gallic. Berolin.
Jo. Chodowiecki, Rector Gymnasii Petri Gedan.
Jo. Jac. Chuno, Consiliarius & Archivarius Regius Berolin.
Jo. Colas, Anglus, Philos. & Med. D. Regiomonti.
Jo. Frid. Cramer, Consiliarius Regius Regiminis Duc. Magdeburg.
Maur. Veyziere la Croze, Bibliothecarius Regius Berolin.
Ern. Sal. Cyprianus, Athenæi Casimiriani Coburg. Director.
Joh. Georg. Eckhardus, Prof. Histor. Helmestad.
Jo. Fabricius, S. Theol. D. Abbas Regioluterensis, Consil. Eccles.
Brunsvicens. & Theol. Prof. Primarius Helmstad.
Mich. Fardella, Abbas, Philosophiae P. P. Patavin.
And. Fountain, Eques Aur. Anglus.
Aug. Herm. Francke, S. Theol. D. & Prof. P. Halens.
Jo. Leon. Frisch, Con-Rector Gymnasii Urbani Berolin.
Joh. Dan. Goblius, M. D. Berolin.
Georg. Gotfredus, Ictus Lipsiens.
Jo. Gottsched, Med. D. & Prof. P. Regiomont. †
Christ. Alb. de Greiffencrantz, Consiliarius Reg. Svec. & Can.
cellarius Regin. Bipont.
Gab. Groddeck, Gymnasii Gedan. ad S. S. Trinit. Prof. & Biblio-
thecarius. †
Sam. Grosserus, Rector Gymnasii Görlicensis.
Mart. Grünberg, Architectus Regius Berolin. †
Domin. Guilielminus, Med. D. & P. P. Patav. †
Phil. Jac. Hartmannus, Med. D. & P. P. Regiomont. †
Nic. Hartsoeker, Consiliarius Elect. Palat.
Jo. Mich. Heineccius, Consiliarius Consistorii, Inspector Eccles.
Urb. & Diæcis Salanæ, Pastor Primarius ad D. Mariæ, &
Scholarcha Halens.
Georg. And. Helwing, Pastor Angerburg.

Chr.



Chr. Henßling, Consiliarius Aulicus Brandeburgo-Anspac.
Petrus Ludovicus Henrich, S. T. D. Concionator Aulicus Regius
& Bibliothecarius Berolin.

Jac. Hermannus, Mathel. P. P. Patavin.

Frid. Höfmannus, Consiliarius Regius Med. D. & P. P. Halens.

Joh. Henr. Hofmannus, Astronomus Regius Societatis Scientiarum
Berol.

Gabriel Holß, J. U. D. Gedanensis.

Henricus L. B. ab Huysßen, Russorum Cæsari a Consiliis intimis
bellicis & justitiæ &c.

Dan. Ernst. Jablonski, S. Theol. D. Concionator Regius Berol.

Joh. Theod. Jablonski, Secretarius Societ. Reg. Berolin.

Frider. Jagwitz, Consiliarius & Medicus Aul. Reg. Berol.

Nic. Ibring, Ecclesiastes Cassellis.

Christ. Junkerus, Historiographus Saxon. Gymnasii Illustr. Ille-
nac. Rector & Bibliothecarius.

Gothofr. Kirch, Astronomus Societatis Regius Berol. †

Joh. Christoph. Klimm, Med. D. Halens.

Matth. Kramer, Linguarum Professor Noriberg.

Theod. Christ. Krug de Nida, Consiliarius intim. Aul. & Mineral.
& Protoarchiater Regius Berolin.

Car. Nic. Langius, Med. D. Lucernens.

Joh. Georg. Leukfeldius, Pastor Primarius Gröninganus Ser. Du-
cis Brunsvico-Luneb. Consiliarius rerum Eccles.

Ferd. Helffr. Lichtscheid, Consiliarius Eccles. & Präpositus Colo-
niæ ad Spream. †

Mich. Lilienthal, A. M. Regiomont.

Paul Jac. Marperger, Consiliarius Aulicus Duc. Olsnens.

Gerh. Meierus, S. Theol. D. & Pastor Eccl. Reform. Bremens. †

Car. Wilh. a Meisenbug, Consiliarius Regim. Marburg. Hass.

Conr. Mell, Präpositus Hirschfeldens.

Anast. Michaelis, Nobilis Macedo.

Claudius Grosteste de la Motte, Pastor Ecclesiæ Gallicæ Londin.

Phil.

Phil. Müllerus, Praepositus B. Mariae Virg. Magdeb. S. Th. D. &
Prof. P. Jenens.

Wyerus Gvilielmus Muys, Med. D. & Mathem. P.P. Franeker.

Phil. Naudé, Prof. Mathes. Academiae illustris Regiae & Gymnasii
Joachimici Berolin.

Phil. Naudé, Jun. Prof. Mathes. Adjunct. Gymn. Joach. Berol.

Benj. Neukirch, in Academia illustri Regia quæ Berolini est ele-
gantiorum Literarum P. P.

Casp. Neumannus, Pastor ad D. Elisab. Inspector Ecclesiarum &
Scholarum Vratislav.

Chr. Henr. Oelven, Magister Equitum Berolin. †

Chr. Rabnerus, Consiliarius Regius Regim. Pomer. †

Bernh. Ramazzinus, Medic. D. & P. P. Patavin.

Joh. Raua, Archi-Diaconus ad D. Nicolai Berol.

Sam. Reyherus, J. U. D. ejusdemque & Mathes. P. P. Kilon.

Georg. Fried. Retzel, Med. D. Brunsvic.

Ol. Ræmerus, Consiliarius Regius Justitiæ & Cancellariae, in Col-
legio Consistoriali Assessor & in Academia Hafniensi Mathes.
Professor Regius. †

Jo. Era. Schaper, Med. D. & P. P. Rostoch. Archiater Duc. Meckl.

Joh. Jac. Schenckzerus, Med. D. Tigur.

Joh. Henr. Schlüter, Consiliarius Aulic. Reg. Consul Berolin. &
Syndicus Prov. Marchia Eleot.

Jo. And. Schmid, S. Th. D. Abbas Marienthal. Theol. Prof. &
Facult. Senior Helmstad.

Jo. Car. Schott, Consiliarius, Antiquarius & Bibliothecarius Re-
gius Berolin.

Jo. Ern. Segers, Alumnorum Regiorum & Corvictorii Inspector
Regiomont.

And. Ern. de Seidel, Consiliarius Regius Francofurt. †


Christ. Maxim. Spenerus, Med. D. Consiliarius Regius Berol.

Nathanael de Staf, Colonellus, Consiliarius Collegii Heraldici,
Praefectus Illustris Academiae Regiae Berolin.

Seb.



Seb. Gothofst. *Starcke*, Academīæ illustris Brandeb. Director. †
Jeremias *Stercky*, Phil. & Theol. D. Professor Francofurt. hono-
rarius, Pastor Prim. Ecclesiæ Parochialis Reform. Berol.
Jo. Frid. *Sturmius*, Concionator Regius Berolin. †
Leon. Christ, *Sturmius*, nuper Mathes. P.P. Francof. ad Oderam,
nunc Architectus Primarius & Provincialis Duc. Meckel-
burg.
Mich. Frid. *Thormann*, Med. D. Consiliarius Regius Berolin. †
Alph. *Turretinus*, S. Th. D. ejusdemque & Histor. Eccles. P. P. nec
non Pastor Ecclesiæ Genev.
Mich. Bernh. *Valentini*, Med. D. & Prof. P. Gieffens. Archiater
Hassia.
D. Abbas *Varignon*, Regiæ Academīæ Scient. Paris. Academ.
Alph. *Des-Vignolles*, Ecclesiastes Gall. Berolin.
Paulus *Volckmannus*, S.T. D. Rector Gymnasii Elect. Joachimicæ
& Bibliothecarius Reg. Berolini.
Christ. *Walterus*, S. Th. D. Pastor Sackheimens. Regiomont.
Georg. Wolfg. *Wedelius*, Med. D. & P.P. Jenens. Consiliarius &
Archiater Saxon.
Gothoīr. *Wegnerus*, S. Th. D. & Prof. P. Regiomont. †
Sam. *Werenfelsius*, S. Th. D. & Professor Basileens.
Joh. *Wernerus*, Director Academīæ Regiæ artium Sculptoriæ &
Pictoriæ Berolin. †
Jo. Erdm. *Witte*, Consiliarius Regius Halens.
Christianus *Wolfius*, Mathem. P. P. Halens.
Joh. Christoph. *Wolfius*, Prof. Lingvarum Orientalium Hamburg.
Jo. Phil. de *Wurtzelbau*, Noriberg.
Theod. *Zwingerus*, Med. D. & Prof. P. Basileens.



AK Ta 871

vol 18

X 287 1609 X



RC


B. M

IIa
871

BREVIS ENARRATIO,
Conditæ
*A Serenissimo Potentissimoque
Rege Borussiæ*
F R I D E R I C O I.
In Regia sua Berolinensi
CIETATIS SCIENTIARUM
; ea tandem constituta sit & inaugurata.

intur Diploma foundationis, Leges institutionis, Oratio-
nes sub inaugurationem habitæ & Catalogus membrorum
Societatis.

Observatorium Societatis Regium.



BEROLINI,
ensis Joh. Christ. Papenii, Bibliopolæ Regii Societatisque
Scientiarum Regiæ privilegiati.
thardi Schlechtigeri, Regii pariterque ejusdem Societatis Typographi.
M. D. CC. XII.

B.I.G.

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Farbkarte #13									

